

SVM PRINCIPIVM, FALSVM MEDIVM, ET FALSVM FINEM EVIDENTIVS DEPREHENDIMVS, AC MANIBVS PALPAMVS, ILLAM SVMMO CAVERE STUDIO DEBEMVS. A. THEOLOGIAE PSEVDOMYSTICAE &c. ERGO. Major sua radiat luce. Minor itidem sic patescit. Nempe enim falsum, quod hic regnat, & latifundia Pseudomysticorum undiquaque occupat, principium est hujusmodi: *Quicquid spiritus internus dicit, illud est verum; cui sese philadelphice associat alterum: Quicquid omnes religiones spiritui interno convenienter asserunt ac docent, illud est verum.* Falsum medium nihilofecius liquet. Neque enim id vel ministeriale Verbi & Sacramentorum, vel fidei divinitus ordinatum est; verum triplex ista via, quæ hominis purgationem sine Sanguine CHRISTI, illuminationem sine Verbo DEI, & unionem cum DEO, sine fide obtinendam, hominibus persuadet. Huc facit, quod spirituales isti Magistri falsam CHRISTI nativitatem, quæ proprie non in præsepio, verum in corde, falsam passionem & mortem, quæ proprie non in cruce, verum in corde, falsamque resurrectionem, quæ proprie non e sepulcro, verum in corde fiat, traderent ac docere consueverint, sensuque literali Locorum Biblicorum, quibus salvifica illa dogmata inculcantur, enervato, meras nobis allegorias, nucleo sublato, mera putamina relinquant. Falsus denique finis conspicitur in Perfectissimo Deificatorio, ab hisce Præceptoribus intento. Mens enim nostra in mentem divinam, & voluntas nostra in voluntatem divinam, unde effluit, transmutanda omnino statuitur. Cui transformationi essentiali impuriore quidam eorundem suffraganei hunc insuper animæ statum affingere non dubitant, quod exterior homo, illæso interiore, quidvis, utcunque prohibitum, patrare queat; siquidem vel cogitationes blasphemæ ad perfectionem ipsi conducant, ita præeunte Antesignano Mich. Molinolo *Manuduct. lib. I. cap. X. n. 61. sequ.* Horribiles & acerbos fateamur fructus hosce dogmaticos, oportet, ex quibus, vel singulis, vel universis, *ὀμφρακοφόρος* istas Arbores subinde cognoscere fas est, & existimare nemo non cordatorum potest. Cum itaque portentiloquiorum ejusmodi capita maxime percrebescencia Disquisitione hac complecti sit animus, equidem faciliori methodo non reperio, qui illam exequar instituti mei rationem, quam si, ordinis alphabetici tenorem ingressus, primas quasi lineas ostendam hujus mærologiæ, e monumentis proborum hujus rei æstimatorum, sinceræ nostræ Sionis Doctorum, maxime Löscherianis, Jägerianis atque Kühnianis, adductas, easdemque cautelæ bonarum mentium, ne sese in errorem induci patiantur, Christiana vigilantia dicatas, sacrarem. Antequam autem hoc paro, amussitatum judicium B. Domini a Seckendorf de Theologia Mystica lubet annexere im *Christen-Staat lib. III. cap. VIII, 7.* Es ist nicht zu laugnen 1) daß in gemeldten Büchern (derer Mysticorum) die groben Irthümer / die wir Krafft Gottes Wortis durch unsere Confession verwerffen / sonderlich die Behauptung des Weib-Opfers / und des Verdienstes der Werke / und des Königs-Lebens mit unterlassen 2) daß viel harte und ungenöhliche Redens-Formulen gebraucht werden / welche wieder die Art der göttl. Schr'ft / die unter andern der Einfalt sich beflisset / dermassen verdunckelt / rauh und ungeheuer sind / daß sie dem Leser einen Abscheu machen / und ist e'n nichtswürdigs / ungeschmacktes und fast grobes Unsinnen / man müsse solche (gleichsam Roth- welsche) Sprachen lernen / und den Verstand vom H. Geist gewarten / wie man in etlichen Phantasten und unbescheidener Eivrerer Scarrecken / welche dieses alchymistische

stische